

Q. VII, 28.

X 2022902

D. O. M. J.



JOHANNIS ANDREÆ STISSEL

Med, Doct.

AQVARVM  
HORNHUISA-  
NARUM

EXAMEN  
CHEMICO - PHYSICUM

Ad normam accuratioris Scientiæ Naturalis  
institutum.



HELMSTAD I,  
Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.  
Anno M DC LXXXIX.







## D. O. M. F.

**A**rtem medicam ritè exercere qui me-  
tam sibi præfixam habet, non solum anni  
temporum & ventorum, verùm & aqua-  
rum cognitione ut instructus sit necesse  
est, quemadmodum prudenter æque ac  
elegantè Medicinæ nostræ parens Hippocrates libro  
de aëribus, aquis & locis monet, ubi paulo ante Me-  
dico commendatâ anni temporum & ventorum co-  
gnitione ita fatur; *Neq; verò negligentiorè se circa  
aquarum facultates cognoscendas exhibere convenit:  
Quemadmodum enim gustu differunt & pondere ac statio-  
ne, sic quoq; virtute aliæ aliis longè præstant.* Au-  
reum hoc divini senis monitum hætenus clarissimo-  
rum virorum non pauci indefesso labore secuti sunt;  
neque enim tantummodo aquarum virtutem atque  
efficaciam cognoscere, verùm & mixtionem illarum  
& ortum subterraneum investigare maximè intenti  
fuère, acidularum & aquarum medicatarum nec non  
thermarum geneses, mixtiones & effectus feliciter fa-  
tis enucleantes, pariter infinitorum phænomenorum  
ætiologias explicantes, quæ priscorum tempore in  
Democriti puteo latere videbantur. Feliciter au-  
tem nec minus indefessè in negotio hoc expedien-  
do (ut pauciores saltem referam) se gessère Taber-  
næmontanus, Henricus ab Heer, Petrus Johannes  
A 2 Faber,

Faber, Henricus de Rochas, Langius, Du Clos, Blondellus, Giurius. Quin & sapiens ille naturæ myſta Reverendus Pater Athanaſius Kircherus variarum aquarum virtutes non minus quam ortum inquirens, quem non ſine laude haud adeò pridem ſecuti ſunt Joh. Joachimus Beccherus, & curioſus ille Anglus Robertus Plot; uti ex hujus de Origine fontium tentamine philoſophico, illius verò Phyſicâ ſubterraneâ videre licet. Horum tum indiſtriâ, tum Naturalis Scientiæ amore, cum primis verò amicorum quorundam rogatiunculis excitatus, haud adeò dudum aquarum Hornhuſanarum in viciniâ noſtrâ repertarum examen aggreſſus ſum: quarum fama jam totam, uti audio, pervolavit Germaniam, & aliquot millia hominum adegit, ut ad uſum earum ſe conferrent. Audivi equidem jam ante quadraginta annos in pago Hornhuſen/ oppido quod vocant Oſchersleben proximo, obortos fontes, quorum miraculoſæ ſanationes ſatis cito myriades ægrotantium impulere, ut vel ex remotioribus quoque terris ad uſum earum accelerarent. Quin Regina Sveciæ, Elector Brandeburgicus & quamplurimi magnates famâ ducti acceſſere, prout ex Theatri Europæi Tom. V. videre licet. Sed nescio quonam fato factum, ut ex abrupto quaſi prædictus diſparuerit rumor & aquarum laudes proverbium illud, quod cito fit cito perit, expertæ ſint. Ante trimēſtre ſpatium circiter, de miraculoſo aquarum Hornhuſanarum ſanationis effectu novæ iterum laudes obortæ ſunt. Nolui narratiunculis quibusdam habere primùm fidem, exiſtimans mendicantium quorundam aliorumque exinde uſum capientium effato factum.

Tamen

Tamen cum paulo post, habitâ in ædibus meis demon-  
stratione Chemicâ, à Studiosis medicinæ perciperem,  
se pridie cum visitassent fontes illos, gustu alios dulces,  
alios falsos deprehendisse, aliquot centum infirmos  
quoque ibidem vidisse, aquæ examinandæ desiderio  
captus, (imprimis cum Clarissimum Dn. Doct. Hoff-  
mannum Potentissimi Electoris Brandenburgici Me-  
dicum aquis illis utendi modum unâ cum medica-  
mentis necessariis præscribere audirem) accepi ab  
amico aliquot quartaria aquæ ex fonte illo ad usus ex-  
ternos destinato, quemque efficacissimum esse vole-  
bant, & odore hanc quodammodo aquas nitrosas  
æquare, sapore verò salinas æmulari expertus sum:  
Verùm cum sensibus non nimis fidendum esse sva-  
deat Perillustris Philosophus R. des Cartes, & neque  
odor neque gustus exactæ aquarum cognitioni suffici-  
ant, ad rigorosum examen eas revocare ratus sum, quo  
mixtio illarum innotesceret: tali autem modo proces-  
sum est.

I.

Libravi aquam in vitro quodam unciarum quin-  
decim circiter capaci; in eodem quoque vitro aquam  
fontanam ordinariam, quam Helmstadii habemus, li-  
bravi, & utramque pondere aut colore inter se vix  
differre expertus sum.

II.

Pulverem Gallarum per noctem infusum nulla  
A 3 ngrie-

nigredine tinxisse aquam compertus sum, quemadmodum ab aquis mineralium acidulis dictis observari solet.

### III.

Nec Syrupi violarum admixione mutatio facta, nisi quod ad viriditatem quandam vergere videretur, haud adeò bonæ tamen notæ & exquisiti coloris erat, quem forsan non adeò nuper paratum ex officina accipiebam. Notum enim id, Syrupi ex violis additione, quodnam salis genus in aquis potissimum dominetur, hinc conjici, quod sal acidus syrupo rubrum, acris aut sulphureus viridem colorem conciliet.

### IV.

Folium Quercinum huic aquæ injectum nullam mutationem subiit; quod aliàs recens avulsum & aquæ minerali impositum ferri corpusculis ita obducitur, ut cœruleum vel nigrum colorem præ se ferat, prout aqua ferro magis vel minus imprægnatur.

### V.

Ex præmissis cum satis superque colligerem, vix mineralis quidpiam in aquâ contineri, per modum præcipitationis ulterius in crasin ejus inquirere ratus, adjeci salis volatilis Cornu cervi optimè depurati particulam, in quam primùm aqua aliquantisper agere visa est, commoto salis frustulo & excitatis in extremitate

mitate ejus bullulis quibusdam, sed statim composito motu sal illud (quod in cerevisiâ notabili satis motu, intenso autem magis in vino & satis promptè quidem dissolvi solet) non nisi tardè dissolutum est, turbatâ simul aquâ, quæ lactescens quasi cernebatur, subsidente post horam ad vitri fundum pulvere albo.

## VI.

Simile phænomenon Spiritus volatilis salis ammoniaci aquæ affusus exhibuit, nisi quod factâ affusione statim turbari & lactescere quasi cerneretur, subsidente post brevem moram pulvere albicante ad fundum: In principio quidem aliquid, cuticulæ pingvioris instar, aquæ innatare hinc inde quidem visum, mox tamen ad fundum cum pulvere deturbatum est.

## VII.

Idem ferè præstitit affusus liquor Nitri fixi five Alkahest Glauberi, nisi quod citius ad fundum subsidere cerneretur pulvis albicans, majoris tamen molis præ illo, qui cum spiritu volatili salis ammoniaci præcipitatus erat.

## VIII.

Lamina cupri huic aquæ imposita per viginti quatuor horas nullum colorem ei communicavit, quippe pellucida & albicans permanfit, ad fundum  
tamen

tamen vitri particulæ quædam plumaceæ quasi, facile  
mobiles & leves, virore quodam parcè quamvis tin-  
ctæ repertæ sunt.

### IX.

Cuncta autem ferè jam recensita, cum simili pla-  
nè modo nobis præstiterit aqua falsa solutionis salis  
communis vel salis gemmæ; non sine ratione aquas  
Hornhusanas omni jure falsarum nomine venire pos-  
se opinatus sum: Tamen ut certior fierem, ab amico  
mihi missas diversorum fontium aquas, tum salas,  
tum insipidas aut dulces, uti volebant, destillationi sin-  
gulas subjeci, administratoque igne primo leni, phleg-  
maticum quicquam insipidum & ab aquâ destillatâ  
vulgari nullo modo distinctum, prodiit; evocatis ma-  
gna ex parte aquis, ut vix uncia quatuor superessent;  
finitâ destillatione & frigefacto vase destillatorio re-  
siduum aquæ (falsæ præprimis) turbidum & particu-  
lis terreis refertum, sapore maximè falso insuper præ-  
ditum, observavi, in vitrum aliud effusum & ad quie-  
tem repositum postridie aquam supernatantem cla-  
ram, sapore verò intensè falsam deprehendi: sedimen-  
tum calcem referebat flavam, cui passim salium cry-  
stalli intermixti erant, nitri figuram quodammodo  
æmulantes, postquam bacillo eximerentur; licet sapo-  
re & reliquo effectum ad salis communis naturam pro-  
ximè accederent.

### X.

Quippe exsiccati crytalli & carboni vivo impo-  
siti neutiquam nitri, sed salis communis exhibebant  
phæno-



phænomenon, cujus ad similitudinem cum crepitu profiliebant, minimè verò falis nitri in morem deflagrabant.

### XI.

Residuâ humiditate omni evaporatâ, pulvis seu calx coloris flavescentis, admodum falsi verò saporis remansit, qui in crucibulo blandè calcinatus, albus evasit; dato autem fortiori igne, fusionem expertus, sal commune fufum planè exhibuit.

### XII.

Pulverifata hæc falis fusi massa & in aquâ soluta, metallorum solutiones cum aquâ forti factas, aquæ falsæ vulgaris in morem præcipitavit; & credo, (si modò ejus copiam quandam habuissem) quòd spiritûs vitrioli, aut olei vitrioli additione, modo Glauberiano verum & genuinum spiritum falis communis ex illâ destillare potuerim.

Plura his aquis tentare tunc quidem ob temporis angustiam non licuit: Feci tamen paulò post ipsemet iter ad fontes Hornhusanos, ut aquarum medicatarum oculatus essem testis, insuper & varietatẽ fontium agnoscerem; postquam autem eò venissem, valdè jucundũ mihi fuit audire, pridie ad fontes illos accessisse Nobil. & Exper. D. Weisium, Serenissimi Electoris Brandeburgici Archiatrum, cujus notitiam postquam adeptus, singularemque in me humanitatem expertus essem,

B

habito

habito vario de fontibus inter nos sermone, tandem ad gustandas aquas accessimus ambo, quas sapore differre quidem deprehendimus, cum aliæ falsæ, aliæ insipidæ ferè, aliæ minùs falsæ, & pauciori quidem nitro quasi imprægnatæ à nobis deprehenderentur. Clarissimum Doctorem Hoffmannum convenire prohibuit ejus absentia, cum brevi ante adventum meum abiisset Halberstadtium, mea verò tum negotia, tum hospitiorum raritas (ob aquas bibentium copiam) ibidem diutiùs commorari haud permitterent. Intereà tamen cum Ecclesiæ Pastore istius loci diversos de fontibus habui sermones, qui infinita sanatorum exempla & admiratione digna quædam retulit, quibus nec contradicere equidem possum, nec tamen relata nobis omnia credere, cum langventium aut convalescentium historiam attingere ne utique nobis animus sit. Rarioris tamen observationis esse videtur, quod tum è Domini Pastoris, tum aliorum ore accepi, nimirum Textori cuidam Quedleburgensi, atrocissimis artuum doloribus multùm & diu admodum divexato, post internum & externum aquarum usum, è diversis corporis partibus factis primùm pustulis, vermes formicarum figuram quodammodo æmulantes, prodiisse, cum maximo morbi levamine & insecuto tandem sanitatis successu. Verùm, ut ad propositum, & aquarum diversitatem mixtionemque revertar, particulis salinis, sali communi planè analogis, nitrosis tamen quibusdam combinatis illas scaterere, & gustu & jam memoratis experimentis inductus ferè auguror, (salvo tamen Cl. D. Hoffmanni aliorumque doctorum Chymiatrorum judicio, quorum

quorum experimentis ulterius edoceri haud ægre feram : obstinati enim hominis esset, veritati illisque quæ ad oculum demonstrari possunt, repugnare, & illorum fidei derogare quidpiam, qui aquarum factò examine, usui illarum postmodum quotidie interfuere, hinc omni procul dubio varia notavere phænomena. Aquæ marinæ dilutiori haud absimiles quasdam esse, singuli qui ad externos usus dicatas delibârunt aquas, confessi sunt : Particulis nitrosis simul imprægnatas illas, fons nî fallor, antinephriticus dictus, Germanicè *der Stein-Brunn* / docet, cujus sapor præ cæteris nitrosum quid adesse arguit. Differentiam aquarum quod spectat, aliam nobis observare haud licuit, nisi quòd salinis particulis aliæ plus, aliæ verò minus imprægnatæ sint, quamvis tamen, uti jam diximus, particularum nitrosarum copiosiorum mixtionem in uno, alterove fonte non negem : Et certè Nitrum sal maximè catholicum, omnium ferè salium conjugium amat, & triplicis naturæ regni mixtis variis inesse reperitur. Sic vitriolo, alumini &c. hujus salis catholici particulas admixtas esse cernimus, nec minus sali communi, quod chemicis manipulationibus sine notabili quodam labore aut sumptu, in nitrum mutatur, quemadmodum Glauberus & alii solertiores Chemicis id ipsum jamdudum docuerunt. Animalibus salem hunc inesse, monstravit Beccherus in *Phyficâ suâ subterraneâ lumbricorum exemplo* : Ex vermiculis illis putridis lignis, aut parietibus cellarum adhærentibus, asellis dictis, haud ad eò pridem produxi nitrum, vulgari illi planè analogum : Plantis inesse nitrum, portulacæ, sedi aliarum-

B 2

que

que succus expressus docuit: Nec minus omnium plantarum salia fixa haud injucundo probant experimento, se admirandam cum nitro affinitatem habere, eique libenter connubere; scil. ubi in aquâ soluta admixto spiritu nitri institutâque evaporatione pristinam crasin mutant, in verum & genuinum sal petrae abeunt: Hæc cum salis hujus universalis in triplici regno existentiam omnimodè probent, in fontibus hisce nitrum unâ quoque adesse, nemo, rerum naturalium probè gnarus, in dubium vocabit, quamvis miscelâ ejus minimè, sed salium falsorum in aquis præprimis existentium majori vel minori quantitate, (prout jam diximus) fontes differre planè probabile sit; cujus rei ætiologiæ explicandæ, subterraneorum contemplatio inserviet; cum primis, ubi in promptu erit, aquas à centro terræ ad superficiem propulsas, pro soliditate aut porositate terræ magis minúsve depuratas & transcolatas, nunc dulces, nunc salinis & terreis particulis imprægnatas magis, sulphureas, bituminosas &c. existere; namque ita Poëta canit:

*Hæc terra occultas perlabitur unda cavernas,  
Et fluit ac refluit semper, variumq; saporem  
Accipit: ut varia est tellus, per viscera cujus  
Transit, sulfureumq; à sulfure mittit odorem.*  
Et Beccherus in Phycâ suâ subterraneâ hæc de re ita loquitur: *Non verò existimandum est, ejusmodi minerales aquas tantummodò provenire, quòd succi quidam minerales per transfluentem*

tem aquam fontanam solvantur, nam, ut ex-  
perientia docet, si tale quidpiam contingeret,  
brevissimo tempore, ut superius diximus, va-  
stissima subterranea loca, mineralibus plena,  
tali continuâ solutione elixarentur & brevi  
deficerent: statuendum itaq; prout jam praxis  
chymica demonstrat, vaporem centralem sub  
initium convexitatis firmamenti centri terra,  
quod transpirat, non omnibus locis ejusdem na-  
tura esse, ob præfati firmamenti, tanquam trans-  
colatorii diversitatem, ulterioremq; in terrâ  
progressum: cum enim talia loca soliditate &  
porositate diversa esse prorsus non dubitandum  
sit, necessario etiam sequitur, permeantes sub-  
terraneos vapores pro conditione transcolatorii  
plùs & minùs transcolari & alterari: Per so-  
lidum namq; transcolatorium vapores pro fon-  
tanâ plùs, per porosum verò pro minerali aquâ  
minùs depurari, prorsus evidens est &c. Et  
paulo post: Si verò ex nimia viarum, quas  
transcurrit porositate, deinde etiam ex defe-  
ctu terra, quæ istis viis inesse, & quæ hanc a-  
cidam centralem terram stringere & præcipi-  
tare

tare solet, præfata aqua centralis qualitate suâ sulphuræâ, bituminosâ & acidâ minerali terrâ non probè liberetur, non rarò contingit, non tam salinam, quàm mineralem existere, quam salinarii *Wild Wasser* vocant: Econtrâ cùm ejusmodi mineralis centralis terra probè separatur, reliquam aquam salinam *Saltzbrunn-  
nen-Wasser* nominare solent. (a) Huic sententiæ Physici & Philosophi recentiores fere omnes calculum suum adjicere videntur. (b) Neque admirationem meretur phænomenon illud, quod Hornhusæ conspicitur, ubi nimirum ex duobus fontibus, exiguo interstitio saltem distinctis, alia dulcis & insipida potiùs, alia verò planè salsa hauritur aqua, cùm diversis meatibus in sublime propulsa terram nunc magis, nunc minùs transcolationi aptam offendens insipida vel salsa, prout diximus, exsurgat. Neque prætereunda sunt, quæ apud Fr. Baconem de Verulamio hæc de re extant; ita autem Perillustris Philosophus fatur: *Effode puteum paulò suprâ quàm extremus maris fluctus excurrit, eâ profunditate,*

(a) J. J. Becherus *Physic. Subterræn. Libr. 1. Section. 2. Capit. 4.*

(b) Saint Romain *Scient. Natural. Part. 3. Artic. 4.* Sui-  
cerus *Compend. Physic. Aristotelico-Cartesian. §. 238. A.*  
le Grand *Histor. Natural. Part. 4. Artic. 4.* Senguer-  
dus *Philosoph. Natural. Part. 3. Cap. 10.*

tate, quæ respondeat ultimo refluxui maris decremento; replebit hunc astuans mare aquâ dulci potuiq; accommodâ. Illud in oris Mauritanæ populari constat experientia, ubi aquæ dulcis defectum illa sola pensat. Intellexit id probe Julius Cæsar, cùm Alexandria obsessus teneretur: Effossis enim in littore puteis, operosas hostium molitiones elusit, qui aquam marinam in Alexandria fontes derivaverant, atq; incolumem tunc servavit exercitum, cùm spes salutis decollâsse videretur. Cæsar verò causæ ignarus existimavit, arenis maris inesse dulcis aquæ scaturiginem; sed adscribendum id esse aquæ marinæ, manifestum est, quæ ad mensuram incrementumq; astûs sui puteum repleat, & subingressa arenas percolataq; sal-sedinem deponat. (a) Scribit P. Athanasius Kircherus, se in agro Viterbiensi duos observâsse fontes, non nisi bipalmario spatio distantes, quorum alter frigidam, alter verò calidam exhibuerit aquam, (b) imò in ipso Rheni flumine, ex medio aquarum frigidarum, calidissima vena prodire observatur, vulgò Schlana

(a) F. Baco de Verulamio Sylv. Sylvar. Centur. I.

(b) Athanas. Kircherus Mund. Subterr. Tom. I. Libr. 5.  
Sect. 2.

Schlangen-Bad. Prope Goam, Indiæ Orientalis Lusitanorum metropolim, urinatores aquam dulcem invenisse, variorum relationibus constat. (a) Ad propositum autem ut redeam, licet diversis experimentis, aquas Hornhusanas sale communi præcipuè turgere, ostenderim; nemo tamen velim sibi persuadeat, animum nobis esse illarum virtutibus ac laudi derogare quidpiam, cum commendandæ & aquis medicatis utique adscribendæ veniant falsidulæ, quarum virtutes à præstantissimo quodam Philosopho ita recensentur: *Salsæ album turbant, superfluum educunt phlegma, congelatum expellunt sanguinem, maciem inducunt.* Probè tamen monet: *Sed cautio est, ne consumptâ pituitâ ventriculum & intestina excedant, scabiem & pruritus ingenerent.* (b) Externè adhibitas aquas falsas in ulceribus mundificandis & absumendis egregia præstitisse constat: Mittimus tamen hæc, ceu ad scopum nostrum minùs pertinentia, cum aquarum usum attingere neutiquam animus nobis sit. Sed utinam medicis tantum præscribendi negotium committeretur, nec balneatores, barbitonfores, agyrtæ, fimilesque medicorum simiæ, huic muneri se ingereant, morborum causas ignorantes, sine discrimine tamen aquarum usum præscribentes. Hinc non mirandum, quòd sæpiùs funestus notetur eventus, qualem haud ita pridem hîc habuimus, ubi phthificus citra  
medici

(a) R. Boyle Observat. de Salsedine Maris Sect. I.

(b) J. B. du Hamel de Meteoris Cap. 2.



medici consilium nescio cujus svasu Hornhusanas  
aquas bibens, paulo post diem suum obiit. Sic me-  
mini aquarum medicatarum usum alibi ex medici  
præscripto non paucis ægrotis optimè conduxis-  
se: Cum verò Pastor æque ac ædituus illius loci certa-  
tim cum medico aquarum usum unà præscribere &  
cuivis commendare cœpissent, ablegatis ad sepulchra  
non paucis, rumor & fiducia in aquas illas brevi di-  
sparuit. Aquarum autem Hornhusanarum vim  
turbandi alvum ut attingam, nemo sibi persuadeat,  
mineralium particulis hanc necessariò deberi: Et certè  
nostro examine tales attingere haud potui: An alii no-  
bis experiundo oculatiores fuerint aut futuri sint, ex-  
pectandum erit. Ingenuè interim fateor me par-  
ticulas minerales ibidem existentes vix concipere  
posse, licet quondam unum è fontibus illis splen-  
dido satis titulo nominarint den Stabl = Brunnen:  
Ne dicam, quod minus erubuerint quidam, aniles  
planè fabulas & absurda commenta ante quadragin-  
ta annos in scenam producere, inesse his fontibus non  
solum septem metalla, aurum, argentum, ferrum, cu-  
prum &c. verum & mineralia; imo lapides pretio-  
sos, margaritas, corallia (a) & nescio quænam ha-  
tenuis inaudita. Salinas satis fortiter alvum subdu-  
cere vel rustico constat experimento & muriæ potu,  
qui obstructam alvum optimè laxat: quid mu-  
ria in anum injecta pro excitando ventre pigriori  
in pertinacissimis obstructionibus præstet, practi-  
corum loquitur experientia. Citra mineralium igi-  
tur

(a) *Theatr. Europ. Tom. V.*

tur existentiam & aquas Hornhusanas alvum movere posse non est dubium : Id ipsum tamen & salinas quas tum Schönigæ tum alibi etiam habemus, valere, experiri forsitan licet: interim tamen harum usum minus commendo. Aquis falsis Hornhusanis tamen magnâ ex parte eas analogas esse duco, haud obstante grandiloquorum quorundam experimento, qui haud erubuere credulis, imo quibusdam medicis (rerum naturalium & pyrotechniæ tamen neutiquam, uti arbitror, gnaris) imponere, institutâ destillatione aquarum Hornhusanarum, prodiisse spiritum volatilem urinosum, odore nares ferientem: Verum ecquis mortalium unquam olfecit aut vidit tale ex aquis mineralibus aut falsidulis per simplicem saltem destillationem productum? Cui rerum chemicarum probe gnaro tale quid unquam per somnium quidem in mentem venit? Audivi tamen ex amico hujus admirandi phænomeni conditionem, scilicet destillatorem aquarum operationem ex cucurbitâ instituisse, in quâ pridie spiritus Cornu Cervi rectificationem instituerat; vas autem post operationem aquâ probe elui à famulo neglectum fuisse, hinc paradoxo hujus genesis. Sed turpe est Medico infirmis operantium credere relationibus, qui sæpe sua incuriâ & operantium culpâ magis stupenda adhuc notant. Ita ante aliquot annos Medicus ex Angliâ rediens, Tincturam Hæmatis cæruleam, magnæ, uti volebat, consequentiæ monstrabat; petii ab ipso ut pro nostrâ amicitia mecum communicaret processum, abnegavit primum, denique

ni que putatitii arcani me participem fecit, quod tale esse ferebat: ℞. Hæmatitis optimè pulverisati q. v. superfunde in phiala spir. salis ammoniaci vol. aut spir. Cornu Cervi volatilis ad eminentiam duorum digitorum, vase probe clauso levi calore per aliquot dies digere & habebis tincturam. Hujus præparationis successum vix concipere poteram, tentavi tamen rem, terendo hæmatiten in pulverem in mortario ferreo & in reliquis præscripto modo procedendo, verùm sine successu: Conveni ergo eundem amicum qui re auditâ processum ad oculum monstrare aggressus, in mortario ex orichalco probè contrivit hæmatiten, cui cum ostenderem tincturam non ab hæmatite, sed à ramentis quibusdam orichalci per trituram abrasis & pulveri hæmatitis adhærentibus, postmodum verò à spiritu salis ammoniaci solutis dependere, errorem primum quidem agnoscere noluit; factâ tamen contusione & trituratione in mortario ferreo, è frustraneo successu rem tandem fateri coactus, parcius de suâ tincturâ sentire coepit, ejusque usum paulo post sensim abdicavit. Ita cæcutimus sæpe in chemicis propter incuriam, & cortices vendimus pro nucleis. Interea tamen in esse fontium aquis reapse subtiles spiritus, tum anatomia chemica, tum fontium quorundam ipsa natura docet; qui manè fumant & aliis aquis tardius congelascunt, singulares insuper qualitates præ aliis aquis stagnantibus circa papyropœiam & tinctoriam artem manifestant. Exinde tamen non colligitur statim spiritus ejusmodi urinosos & volatiles esse debere. Inesse & aquis Hornhusanis

suos spiritus utiq; arbitror. Hinc rectè, ut audivi, Clar.  
D. Hoffmannum sensisse existimandum est, aquas sal-  
sas pro externo usu minimè coqui aut incalescere  
debere; quicquid svaserint alii, qui aquas ejusmodi  
cum herbis coqui & tali pacto balnea magis saluta-  
ria parari debere, suâ quidem mente conceperunt;  
nescientes forsan, ignem motorem universalem abi-  
gere aquarum spiritus, qui salis & terræ felix in aqua  
efficiebant conjugium, ejusque existebant moderato-  
res. Hoc ipsum & aqua fontana quæ Brunsvigæ est  
non semel nos docuit: factâ enim coctione post unam  
alteramve horam, notabilem terræ quantitatem ad  
fundum subsidere observavimus, quam absque præ-  
missâ coctione non largita est, per aliquot licet septi-  
manas stetit. Et ita quæ circa aquarum Horn-  
husanarum examen se nobis obtulêre recitavimus.  
Contendet forsan aliquis, plura hisce aquis tentari  
potuisse; cui equidem haud contradico; velim ta-  
men & alii circa eas quoque suam conferant ope-  
ram, & candidè quicquid propriis tentârunt mani-  
bus profiteantur: alienis enim fidere experimentis  
haud æquè tutum semper. Et certè credo hanc for-  
tem Rev. P. Kircheri contigisse, ubi singulorum mi-  
neralium aquis immixtorum cognoscendi modum  
proponens, sedimentum aquarum post distillationem  
vel evaporationem reliquum, supra tabulam ferream  
politissimam igne candentem exponi & probari his  
jubet verbis: *Si sulphur adsit, id statim solitâ  
odoris graveolentiâ se prodet, si vero sal &  
nitrum*

*nitrum, illa dum comburuntur in candenti tabulâ scintillabunt, hæc tamen differentiâ quod sal cum crepitu, nitrum sine crepitu scintillabit.*

(a) Verum ignoscant mihi manes Reverendi Patris, sal commune de quo sermonem habere videtur, minime comburi nec scintillare potest, sive in laminâ ferreâ sive crucibulo ignito tractetur. Sal commune igni vel laminæ candenti injectum crepitum emittere, constat quidem; sine strepitu autem Nitrum scintillare non vidi hæctenus, nec nitrum laminæ candenti injectum combustum esse aut scintillasse memini: Ubi autem carbonum pulvis accedit, & scintillat nitrum & cum strepitu comburitur. Aliorum itaque relatione seductum fuisse P. Kircherum, haud improbabile videtur. Verum ne citra institutum agere videar, vela contraho, atque examinis Chémico-Physici aquarum filum abrumpo: Quosvis tamen Philosophiæ experimentalis & Chymiatriæ cultores obnixè rogans, ut conatum hunc nostrum favore suo dignari & experimentorum suorum apparatu emendare, magis insuper magisque illustrare, haud ægrè habeant. Faxit autem Deus ut aquarum Hornhusanarum usus quibusvis languentibus nullo non tempore salutaris sit, in magni sui nominis gloriam.

(a) *A. Kircherus Mund. Subterr. an. Tom. 1. lib. 5. sect. 1.*







Q 4706

10





Q.N. VII, 28.

X 202  
D.

JOHANNIS

AQ  
HOR  
NA

EX  
CHEMIC

Ad normam acc

Typis GEORG-WOL  
Ann

2  
06  
3

A.

is

r.

